

1523 rent, ad quam perfolvendam Senatus nullo pacto adduci poterat: deinde, cum pro Insubribus tuendis, ac Francisco Sfortia in Mediolanensi imperio retinendo se foedere obstringi Senatus minime abnueret; Cæsareanis eodem foedere ad Neapolitanum regnum defendendum teneri Venetos placebat; quod ne a Senatu probaretur, id in causa erat, ne Turcae, quibus per immensam fere longitudinem Venetæ ditiones finitimæ sunt, inde ad pacem turbandam occasionem arriperent; cum ex Neapolitano regno facilis in Epirum, Græciam, aliasque provincias in visceribus Ottomanici imperii trajectus sit; neque timendum videretur, ut dum staret Mediolanum, copiæque illud Cæsaris, ac Reipublicæ tuerentur, hostes Neapolitanum regnum invaderent; cum haud quaquam tutum Senatus censeret, Reipublicæ copias tam longe a suis finibus abesse, ut terrestre imperium viribus destitutum, hostium injuriis, atque libidini pateret. Præterea haud parvi momenti controversiæ accedebant de exilibus revocandis, de bonis restituendis. De Vormaciensibus quoque pactationibus inter Ferdinandum, & Carolum Imperatorem fratres, ac Venetos multa supererant, quæ non facile explicari poterant, præsentiamque Oratoris, qui Ferdinandi nomine ageret, exposcerent; ut negotium ob varias, quæ in dies oriebantur, difficultates, brevi temporis intervallo perfici non posset. Pontifex vero omnibus de rebus a Senatu edoctus, cum vereretur, ne privata inter Cæsarem, ac Rempublicam controversiæ communi pacis bono essent impedimento, adhortando, omnia in se recepturum pollicendo nitebatur, ne levioribus difficultatibus eximium communis concordiae fructum, ac præsentissimum Christianis rebus auxilium cunctationibus, atque ancipiti consilio moraretur. Per eos dies Balthassar Glesius Ferdinandi Archiducis nomine Venetias accessit, ut (quod maxime ad rem perficiendam necessarium videbatur) quæ de finibus controversiæ inter illum, ac Rempublicam versabantur, definiret, pacique subscriberet; quæ cum ejusmodi essent, ut neque facile, neque cito expediri possent, atque interim Caroli, & Henrici Oratores ad negotium perficiendum urgerent, eoque nonnunquam dicendo proveherentur, jam induciarum tempus elapsum esse; nisi quamprimum quænam illius mens esset

Balthassar
Glesius Fer-
dinandi O-
rator ad Ve-
netos.